[illegible]
cimus uertebatur; Ita dumtaxat ut sex mensibus oleo
ungerentur myrtino. & aliis sex quibusdam pigmentis
& aromatibus uterentur; Ingredientesque ad regem
quicquid postulassent ad ornatum pertinens accipi
ebant. Et ut eis placuerat compositae de triclinio
feminarum ad regis cubiculum transiebant.
Et quae intrauerat uespere egrediebatur mane. atque
inde secunda aedes deducebatur. quae sub manus
asagazi eunuchi erant qui concubinis regis praeside
bat; Nec habebat potestatem ad regem ultra rede
undi nisi uoluisset rex. & eam uenire iussisset ex no
minae. Euoluto autem tempore per ordinem instabat
dies quo esther filia abiahel fratris mardochei quam sibi
adoptarat in filiam intrare deberet ad regem;
Quae non quaesiuit muliebrem cultum. Sed quaecumque
uoluit egeus eunuchus custos uirginum. haec ei ador
natum dedit. Erat enim formosa ualde & incre
dibili pulchritudine. omnium oculis gratiosa & ama
bilis uidebatur. Ducta est itaque ad cubiculum regis
asueri mense decimo qui uocatur tebeth. septimo
anno regni eius. Et amauit eam rex plusquam omnes
mulieres. habuitque gratiam & misericordiam coram eo
super omnes mulieres. & posuit diadema regni in capite eius.
fecitque eam regnare in loco uasthi. Et iussit conuiuium

Domus [illegible] libro [illegible]
[illegible] ad finem [illegible]